



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Libri// Officialis// Sive Agendae S.// Ecclesiae Treverensis
Pars// Prior**

Jakob <III., Trier, Erzbischof>

Avgvstae Treverorum, 1574

VD16 A 766

Catholicæ instructiones de Sacramentis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72595)

CATHOLICÆ INSTRVCTIONES.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quid Sacramentum.



Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma atque signum, ita, vt eius imaginem gerat, & causa existat. Nam Sacramentum, vt ait S. August. est, in quo sub tegumento rerum visibilium, diuina virtus operatur salutem.

De Materia & Forma.

In omni Sacramento est signum visibile, siue sensibile, hoc est, quod sensu aliquo exteriori deprehenditur, & præcipuè visu & auditu. Et hæc signa constant ex materia & forma: siue, vt dicit D. Augu. ex elemento & verbo. Accedit, inquit, verbum ad elementum, & fit Sacramentum.

Hæc duo necessaria sunt ad veritatem & integritatem cuiusque sacramenti, vt si alterum desit, non possit constare ratio sacramenti. Propterea in sacramentis Pastores diligentes esse debent, ut non ignorent materiam & formam sacramentorum. Hæc enim pertinent ad necessitatem, alia ad solemnitatem, quæ tamen prætermittenda non sunt, nisi in mortis, & necessitatis articulo.

De Effectu Sacramentorum

Effectus Sacramentorum est gratia: licet enim Deus sit author & largitor gratiæ, vt causa principalis, veitur tamen sacramentis vt causa instrumentali: dum enim Sacramenta hominibus adhibentur, confertur eis gratia diuina, ex virtute passionis Christi.

De Characterè.

Alius est effectus Sacramentorum, nõ omnium, sed trium tantum, videlicet Baptismi, Confirmationis, & Ordinis, qui dicitur Character, & est signum quoddam inuisibile, quod animæ suscipientis talia sacramenta imprimitur: & quia est indelebile, nunquam illa sacramenta possunt iterari, neque propter peccata, neque propter hæresim, aut vllam infidelitatem.

De Ministro.

Deus est author, & institutor Sacramentorum, homo vero minister & dispensator. Et quia illud, quod est effectus sacramenti, nõ impetratur

A

petratur

De Sacramentis in genere.

impetratur oratione ministri, sed ex merito passionis Christi, ideo non datur melior effectus per meliorem ministrum. Vnde D. Aug. super illud. Ioannis. Super quem videris &c. Quid tibi facit bonus minister, nisi bonus dominus?

Peccant mali ministri administrando

Sacramenta.

Ministri sacramentorum sancti esse debent: sicut Dominus sanctus est: quare ad irreuerentiam Dei pertinet, quando indignè sacramenta tractat: et grauissimè peccant, qui cum conscientia peccati mortalis, quodcunque sacramentum administrant.

A malis ministris licet accipere

Sacramenta.

Quamdiu toleratur ab Ecclesia mali ministri, se tantum lædunt, non alios, sacramenta administrando: quemadmodum fax accensa, inquit Nicolaus Papa, sibi detrimentum præstat, alijs vero lumè in tenebris administrat. Quando autem mali ministri præcisi sunt ab Ecclesia, hoc est, excommunicati, vel nominatim, vel propter violentam & notoriam verberationem clerici, vel alioqui degradati, aut suspensi nominatim, non licet ab eis sacramenta accipere, quia communicaremus peccatis alienis.

De Intentione.

In ministro requiritur intentio id faciendi, quod facit Ecclesia, quæ intentio exprimitur per verba, quæ in sacramentis dicuntur, vt cum dicitur, Ego te baptizo in nomine patris &c.

Fides tamen ministri recta, necessaria non est, sicut nec bonitas, quia non agit in virtute propria, sed in virtute Christi: vnde hæretici, & alij infideles, quando seruant formam Ecclesiæ & proponunt facere id quod facit Ecclesia catholica, licet id credant nihil esse, possunt verum baptismum conferre.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, **B**aptismus, **C**onfirmatio, **E**ucharistia, **P**œnitentia, **E**x-
trema vñctio, **O**rdo, & **M**atrimonium. Quæ possunt sæpius itera-
ri præter Baptismum, Confirmationem, & Ordinem: in quibus cha-
racter indelebilis, vt dictum est, imprimitur.

De